

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0028

0026

0032

0022

0037

0017

0077

0127

0527

1027

Ende

Anfang

17

proposita utiliter movetur, cum res haec grandis non nisi per populos totius occidentis agi valeat, sicut anno Domini octingentesimo secundo Carolus Magnus Imperator vocatus a patriarcha hierosolymino Zacharia et ab Imperatore Constantinopolitano cum toto occidental populo orientem ingressus civitatem sanctam et totam terram de manibus infidelium Sarracenorum eripuit. Quibus iterum amissis et per Sarracenos possessis expulsis Christianis exules fuerunt a terra sancta ultra CC annos. Post quos surrexit infatigabilis et illustrissimus dux Lotharingiae, Gottfredus do Bullion, anno Domini 1099, et collectis electis bellatoribus totius occidentis intrepide terra marique transgresso post plurimam infidelium stragem, usque Jerosolymam devenit, in qua erant XL millia Sarracenorum armatorum, demto communi populo, et urbem nostri milites 39 diebus obsederunt, et capta civitate in templo, quod nominant Salomonis, et in ejus atris Christiani cum paganis bello conserto tanta in eos coede debachati sunt, ut in sanguine occisorum equitarent usque ad genua equorum, et ita iterum (189 A) dominicum sepulchrum per illos illustrissimos milites ad suos possessores devenit, et mansit apud eos nonaginta octo annos, et deficientibus tandem auxiliis occidentium regionum et Deo populo christiano irato propter eorum peccata, ut fol. 189 B. [dictum est], Jerusalem iterum capta est ab infidelibus, et tenta manet usque in hodiernum diem, jam per trecentos annos usque ad infelix hoc tempus nostrum. Et bene infelix tempus nostrum dixerim, in quo fidei vespera mundo advenit, nocturumque chaos fraudis abundat. Languet justitiae lucifer, hujus vix umbrae remanet umbra superstes. Nam lex recessit a sacerdotibus, a principibus justitia, consilium a senioribus, a populo fides, amor a parentibus, a subditis reverentia, charitas a praelatis, religio a monachis, a juvenibus honestas, disciplina a clericis, a magistris doctrina, studium a saecularibus, a judicibus aequitas, protectio a militibus, a civibus concordia, timor a servitoribus, a rusticis communitas, veritas a mercatoribus, a nobilibus virtus, castitas a virginibus, a viduis humilitas, dilectio a conjugatis, a mulieribus verecundia, patientia a pauperibus etc. Ita agmine praecipites per antra criminum et mundi aream tetra caligine

2

